


**Cimbria Lacrumans sive Scazon In Obitum praematurum ... Domini Dn. Friderici  
Iunioris [et]c. [et]c. Illustrissimi Ac Celsissimi Principis Ac Dn. Dn. Friderici  
Haeredis Norvagiae, Ducis Slesvici & Holsatiae ... Filii Primogeniti, Principis ad  
omnia summae dignitatis fastigia nati & educati Lutetiis Parisiorum d. 2. Augusti  
placide pieq[ue] in Dn. defuncti**

[S.I.], 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn766337235>

Druck    Freier  Zugang





188 21 Februar

Mc-L 1-12.  
1-51 <R>





77







CIMBRIA LACRUMANS  
sive  
**SCAZON**  
IN

Obitum præmaturum  
SERENISSIMI, CELSISSIMIQUE PRINCIPIS AC  
DOMINI

**DN. FRIDERICI**  
**JUNIORIS &c. &c.**

ILLUS TRISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS AC DN.

**DN. FRIDERICI**  
Hæredis Norvagiæ, Ducis Slesvici & Holsatiæ, Stor-  
mariæ & Dithmarsiæ, Comitis in Oldenburg &  
Delmenhorst &c. &c.

FILII PRIMOGENITI,

Principis ad omnia summae dignitatis fastigia natu  
& educati

Lutetiis Parisiorum d. 2. Augusti placide pieq; in

DN. defuncti.



170  
Magnifico, Nobiliss.  
Amplissimo, Cognitissimo  
Prudentissimo de: Dc: Dc:  
JOHANNI ab HATTER  
Serenissimi Cimbriæ Due  
Cordillario, Extimo Ar  
oco ac dignissimo. I  
ac Patrono suo  
etaten, devene  
do, expte ihu m  
nuscalum  
exhibet

ANNO M. DC. LIV.

*Hato*

DEDICATIO  
ad  
SERENISSIMUM CELSISSIMUM QUE PRINCIPEM  
AC DOMINUM

DN. F R I D E R I C U M,

Hæredem Norvagiæ, Ducem Slesvici, & Hollatiæ Stor-  
mariæ & Dithmarsiæ, Comitem in Oldenburg & Del-  
menhorst &c. &c. &c.

D O M I N U M S U U M C L E M E N T I S S I M U M &c.



Uamvis , Serenissime ac Celsissime PRINCEPS FRIDE-  
RICE, &c. &c. Domine Clementissime &c. nulli unquam,  
nisi infantissimo fortassis, deesse possit, quo TE, tantum , tam-  
que prælustre , ac rarum denique nostræ Germaniæ Principum  
jubar & decus alloquatur : hoc tamen , luctuosissimò sanè ac  
tristissimo ( cum quô nunc , proh dolor ! colluctamur ) tem-  
poris articulò, disertissimus etiam quisq; , & ab ingenio & eruditione paratissi-  
mus, quo potissimum exordiò utatur, merito dubicarit. Et licet nemo non, qui  
quidem patriam hanc nostram ( quæ sub augustò illo TUI patrocinio maximè  
jam floret ) salvam esse cupiat, hosq; immentos adeò dolores Tecum partiatur,  
& æquâ ( quod ajunt ) lance suspendat : veruntamen perpauci, ut rem dicam, præ-  
fens aliquod & idoneum tantæ ægritudini sopiendæ medicamen afferre vix dum  
conantur. Verba scilicet desunt rebus immensis , PRINCEPS LAUDATISSI-  
ME, & cum ipsa mœrore veluti confecta stupeat Libitina , publicus etiam dolor,  
singultientis instar præficæ, vocem laxare subveretur. Nec quenquam præter-  
ea latet , Serenissimam Celsitudinem Vestram solatiis hujusmodi , quæ Sacer  
Codex ( ne de Ethnicorum filiis jam loquar ) largâ manu suppeditat, non destitui;  
quidpe quæ pulcherrimum Doctrinæ, & quæ verè Eruditio vocari demum pro-  
meretur , sapientiæ præconium, nullius refragante calculo , sibi acquisivit, ut in  
ipso Gratiarum sinu , non tam gnatus , quâm educatus possit videri. Excessit,  
eheu ! omnem encomii aleam transgressus , omniumq; seculorum memoriâ di-  
gnissimus PRINCEPS, & paternæ virtutis haud degener filius: atq; utinam adhuc  
dum superesset. Huic noster ille , qui nunc Serenissimæ Celsitudinis Vestrae pul-  
vinar adfectat, tenui quantumvis & aridò modo pumice expolitus Scazon pa-  
rentabit. Admittat quæso Serenissima Celsitudo Vesta ( si tamen id unquam  
nostra Juvenilis Musa promerita videtur ) exile illud & qualecunq; munuscum,  
eō, quô solet , & par est, vultu. Nulla insequens tempestas hunc præmaturum  
NOSTRI FRIDERICI obitum conticescat: Omnis quinimò retrò memoria lu-  
gendum Fati invidiā dolebit ac ingemiscet. Vale, ô Patriæ nostræ verè Parens,  
cum Augustissimâ ac Celsissimâ Gloriosissimi Nominis Familiâ, seriusq; demum,  
quod precor, in cœlum revertaris. Dabam Slesvigæ Anno 1654. 24. Octobris.

Serenissimæ Celsitudinis Vesta  
Humillimus  
Alumnus

NICOLAUS MARTINI  
L. L. stud.



**A**desto Musa, Cimbriæq; plorantis,  
Gottorpii; lacrums gemiscentis  
Audi querelas civiumq; singultus.  
Heic cura sedes, heic cupreslus atrata  
Heic pulla taxus squalidum occupant limen,  
Aulamq; mœror depoposcit hanc totam.  
Nil amplius mirabor Eruditorum  
Crudele Fatum, quamlibet tot Atlantes  
Cernam tagaci mortis abripi dextrâ,  
Nullumq; Parca figat huic malo finem,  
Cujus necesse non potest reluctando  
Vitare quisquam ; cuncta lege fatali  
Ditis severum pertinent ad examen,  
Imiq; subsunt judicis tribunal.  
Quem nec superba commovet Tyrannorum  
Exlex potestas, nec tiara Persarum,  
Nil curat altas ditis Attali gázas  
Regumve turres, pauperum tabernacula  
Ducumq; sedes horridô petit gressu,  
Irumq; Summo comparat Megistanum.  
Testaris illud, Cimbricæ Juventutis  
PRINCEPS in ipso Vere jussus ætatis,  
Mortalitatis lubricam egredi sortem,  
Novumq; sidus ordinem Beatorum  
Augere censu, cœlitum choro mixtus,  
FRIDERICE, certum patriæ domûs fulcrum,  
Quem Subditorum vota, quemq; Magnatum,  
(Quorum futuras ipse spes fatigabas)  
Aram salutis unicam intuebantur.  
Quem pulchra virtus, forsq; prima nascendi,  
MAGNI PARENTIS æmulum gubernaclo,  
Rerumq; habenis destinarat Hæredem.

A

Præ-

Præclara vultus ingeniq; miracla,  
Quæ mollis ætas præbuit juventutis,  
Sublime cunctis quidpiam minabantur.  
Non quale vulgus, rarius licet, produnt,  
Sed quale Iceptra, culminisq; Regalis,  
Exornet apices, PRINCIPEMQUE commendet,  
Tantive tollat nominis vetustatem.

Expende lusum, quisquis es, vacillantem,  
Vicesq; mecum disce sortis humanæ,  
Quam fluctuanti incerta sæpe nitatur  
Spes nostra gressu, quam levi manu verset,  
Damnetq; nostras tristis Atropos curas!  
Fastigio nam quicquid eminens alto,  
Mortalitatis gloriæq; transcendit  
Præsigne culmen, falce demetit sævâ,  
Virosq; Magnos posse corripi telô,  
Quod ipsa fixit, mille monstrat exempla.  
Sic cum micantes ira Fulminatoris  
Dispergit ignes, Æolusq; captivas  
Emittit hyemes, & minas procellarum,  
Humum tuentes haud ferire consuevit  
Casas, minusq; vile sævit in tectum  
Effræna Cauri fulminumq; tempestas:  
Æquata cœlo robora, ac inaccessos  
Montis præalti vertices, & annosas  
Impellit ornos. Heu gravissimam cladem,  
Proh dura Fata, & invidentiam secl! i  
Nihilne vestræ stamen horridum telæ,  
Potuit morari proruentis in lethum?  
Nullusq; dirum mortis invidæ pensum  
Retinere quivit, ipse flos juventutis  
Honosve vernans, aut virens valetudo?  
Quicquid videtur dignius frui vitâ,  
Pylios ut annos, vividamq; Tithoni  
Vincat senectam, quicquid emori Musa  
Vetat, cohorsq; laudis atq; virtutum  
Æternitati destinavit, ut nullô  
Exspiret ævo, seculi senescentis

Mor-

Morsus, & atrum temnat invidi dentem,  
Hujus caducæ Parca subtrahit vitæ,  
Filumq; rumpit, nec sinit diurnare,  
Aurave vesci, ne suis coruscantem  
Ad alta honoris tempa præferat lucem,  
Cunctisq; ad instar esse possit exempli.

Hoc jure Cimbris nunc dolere permissum  
Queriq; fas est, gens ut insecurata  
Singultientis patriæ gemat damnum,  
Nostrisq; voces lacrumis suas jungat.  
Nec illa solos causa tangit Holsatos  
Patriosq; fines, nec veretur angustis  
Germaniæ se finibus coerceri;  
Sed utriusq; Solis occupat cursum,  
Pigros Triones, fervidiq; vim Cancri  
Transgressa linguis; ingemunt leves Galli,  
Tantumq; nostræ Nomen invident terræ,  
Sublime cujus antea stupescabant  
Pectus, quod ipsa possit elaborasse  
Pallas videri, quod Scientiæ Matrem  
Finxit Athenas, ipsa res loquebatur.  
Quin ipse Franci Nominis gubernator,  
Qui jura genti dicitat Navarræ,  
Cujus favori tot probatus exemplis,  
Quem laudis atq; splendidum decus famæ  
Magnum sui tenebat æstimatorem.  
Ut occidisse lumen illud, Arctoo  
Quod fulget axi, flebilesq; inaudivit  
Gemitus Bootes, triste funus admirans,  
Quod possit ista sideris mori flamma,  
Solitum negavit liliis suis fastum,  
Aurumq; jussit exsulare consuetum.  
Ac digna tanto ut justa solveret busto,  
Gemmis dolores, purpuræq; lamenta  
Cunctisq; fletus ipse moestus indixit.  
Tristes ut illas, Martiæ potestatis  
Alumna quondam Roma, gentium Mater,  
Ac universi terror orbis armati,

A 2

Sen-

Sensit querelas, Galliæ gemiscenti  
Mœrens & ipsa lachrymas suas junxit,  
Fatumq; nostri tota PRINCIPIS luxit.  
Nec ipse Sanctus ordo Purpuratorum  
Huic se dolori, questibusq; subtraxit.  
Augusta tantum SPLENDIDI DUCIS Virtus  
Præcone famâ potuit; hinc tot amotæ,  
Quas orbe nostro dividunt procul gentes  
Immensa terræ spacia, quo repentina  
Lugubre Fati nuncium penetravit,  
Tanti ingemiscunt sideris sub occasum.  
Quod si dolere quispiam recusaret,  
Illum perisse Vindicem rei nostræ,  
Columenq; magnum Cimbriæ resurgentis,  
Hunc edidisse sœva patre Getulo  
Leæna mater, atq; tigris Hircana  
Posset videri rupibus sub infestis.  
Cum tot querentes, atq; neminem siccös  
Vultus gerentem cerñat, ipsa stellantis  
Facies Olympi, quæ suo renidebat  
Fulgens serenô, quæq; stabat innubis,  
Ne deserentem scilicet gravi morbo  
Videret artus languidos & afflictos,  
Subitò nigranti cuncta vestiit nocte,  
Quantumq; nostris lumen occidat Terris,  
Subductus orbi Phœbus ipse testatur.  
Hoc ore quondam fullerat, tenebroso  
Squallens amictu, cum nefas Thyesteum,  
Laceriq; damnans funus horridum gnati,  
Sui serenum denegaret aspectum.

FRIDERICE PRINCEPS, cuius arduum Nomen  
Felicitis instar sideris, salutare,  
Per æstuosas atq; inhospitas Syrtes,  
Tot jam per annos naufragæ rati fulsit.  
Quem fama, laudum gloriæq; miratrix,  
Tot conspicandum gentibus peregrinis,  
Positisq; longe barbaris adorandum  
Æquavit astris, & vetantibus solvi,

In

In arduum post Fata perferet pennis.  
Qui pondus humeris sustinens Atlantæum,  
Perstas labori nec tamen fatigaris.  
Suspende tristes paullulum, precor, fletus  
Animumq; magnis fortis expedi curis,  
Altè medullis quæ tuis inardescunt,  
Sibiq; totum mancipare conantur  
Illud virile mentis inclutæ robur,  
Quod blandientis fascinare fortunæ  
Non potuit aura, turgidum licet plenis  
Velum impulisset & ferentibus ventis.  
Assurge victor, atq; pectus infractum  
Ostende curis, imperaq; lamentis;  
Dum grande Nati Musa funus extincti  
Secernit lumbbris, inq; præficæ morem,  
Collacrumanti patriæ præit verba,  
Quæ tota squallens ægritudini nescit  
Servare leges, nec doloribus metam  
Ponens, Alumni commori cupit busto,  
Quo tot piorum vota spesq; conduntur.

Sed digna quænam verbal suppetant questu,  
Quæ Suada tanto par malo requiratur,  
Quis debeatur ordo rebus immensis,  
Non Dux sacrati Lauriger chori Phœbus  
Monstrarit ipse, non Lebethridum turba,  
Hunc speret apicem quamlibet Caballino  
Se labra fonte proluisse contendat,  
Sibiq; totum vindicare Parnassum  
Diserta possit; ipsa quæ potens fandi  
Regina cunctos arte subjicit Peitho,  
Majus requiri confitetur heic flumen.  
Tu grande solus conficis decus Nobis,  
Aurâq; Vatem sublevas coruscanti,  
AUGUSTE PRINCEPS, (debitum Tibi Nomen  
Hoc esse credo) quicquid est aberratum,  
Tui favoris pertinax obumbrabit  
Ignota nulli gratia, hoc suis saltem  
Si polliceri Musa possit exorsis,

Nullum precetur amplius sibi Numen,  
Non ora centum, quæ suis solent Vates  
Optare cæptis, non fluenta Cyrrhæa,  
Clariasve laurus, Deliq; cortinam.

Hac spe supremum mœsta Pieris busto  
Meditare honorem, flebili tono carmen  
**Ordire mœstum, PRINCIPIQUE FRIDRICO**  
Singultienti næniâ parentato.  
Palam sit orbi, quanta corruat moles,  
Quantumq; nostri Sleja lugeat damnum.  
Columna Cimbri, Spes Salusq; Dithmarsi  
Convulsa casu decidit repentina.  
Princeps ab ortu Solis ac Hydaspeis  
Virtute fulgens terminis, in occasum  
Diemq; serum; præcoci nimis fato  
Terris ademptus astra lætus, invisit,  
Gravem relinquens omnibus suis luctum,  
Cesit benigni Numinis voluntati,  
Cœloq; munus arduum reposcenti.  
Cui, cum beatos casta solveret nixus  
Lucina matris, atq; pignus augustum  
Exciperet ostrō, nobiliq; turgerent  
Superba partu fidera, ipsa nascenti  
Cunas Athene præbuit, lacertosq;  
Famulos Alumno diva subdidit Pallas;  
Non quæ verendos concutit manu torvâ  
Enses, nec altas fulminante ballistâ  
Subvertit arcis, ac suis triumphales  
Suspendit arcus, & decus paludatum.  
Sed qualis alto templa Literatorum  
Serena gressu scandit, & rudi vulgo  
Sibi sacratos deditosq; secernit,  
Quam cantat omnis docta Cecropum turba,  
Latiiq; pubes eruditior laudat.  
Hæc ut benigno vix sinu recepisset  
Cælestè pondus, dulce basium fixit,  
Tenerosq; fletus dispulisse contendens,  
Potanda lactis ubera obtulit primùm,

Jocosq;

Jocosq; fingens , ac amabiles risus, et manibus quæbus illatim.  
Vultus notavit, indolisq; divinas  
Mirata dotes quanta nunc meis, dixit,  
Placatus æther dona parturit Cimbris,  
Hæc illa tot suspiriis anhelata  
Ambita votis mille lux adest tandem,  
Tantæ Parentis cui videre permisum  
Partus novellos, ipsa Parrhasis grandi  
Superba fœtu, dum tuetur Hollatos,  
Congratulata prosperum genetrici  
Precatur omen, cresce Stirpis Augustæ,  
Regumq; Sanguis, quos avos recognoscit  
Avunculosq; prædicat, recedentis  
Ævi senecta, mille Te tuis dicent  
Aliisq; lingua gentibus, cedratiq;  
Memori loquentur cuncta seculo Fasti.  
In TE renatus Genitor ac avi vivent,  
(Ni TE volentem Parca subtrahens Terris,  
Magnum Salutis mergat Obsidem nostræ)  
Post busta; Adolphi grandior reviviscens  
Resurget umbra, redditâq; floresceret  
Felix juventâ; Tu tuo redonabis  
(Ni Fata nolint) exsulem Themin cœlo,  
Ceu Sanctitatis atq; Vindicem recti  
Satellitemq; Juris impigrum Nostri,  
Tuum PARENTEM Virgo cernit Astræa.  
TIBI Templa Divûm, fornicesq; sacrati  
Valvas recludent; integer Dei cultus  
Augmenta per TE sumet usq; majora,  
Dum ficta tandem Falsitas triumphetur.  
Num plura versu dona prosequi fas est?  
Non posse in unum cuncta carmen advolvî  
Miracla laudum, ter triplex Camœnarum  
Testatur ordo ; quin prius procellosi  
Contemnet iras Nerei tumescentes  
Aut æstuosi Nauta murmur Ægæi,  
Famem Charybdis, impetusq; Scyllæos  
Parvô secabit lintre : quamqueant omnem

Trans-

Transgressa laudis paginam recensi.  
Quod ipsa moles & labos inexhaustus  
Sperare quenquam prohibet: ipsa Cimbrorum  
Lætata quondam rura gestient illud  
(Modo faustus æther muneri suo parcat)  
Videre tempus! quô suæ Parens Terræ  
Hærede tali gaudeat, perenniq;  
Inscribat albo Nomen usq; victurum.  
Hæc gnara fortis dixit illa venturæ.  
Tum lætiore Phœbus exserens vultu  
Radios micantes, grande gaudium nostræ  
Ostendit Arcto, more quæ triumphantis  
Tanto se ALUMNO jactitare gaudebat.  
Tunc Astra mille nictibus renidebant,  
Omenq; faustum blandiente tollebant  
Corusca crine, frigidi senis falcem  
Dispulerat alma fax Jovis Panomphæi,  
Non ignis arma Martius minabatur,  
Nec sæviebat æstuans Cleonæi  
Furor Leonis, cuncta magna spondebat  
Tranquillus æther, quin Nepos Atlantæus,  
Veneranda cujus arte sceptra se promunt,  
Solitô nitebat purius; nec infesto  
Madebat imbre Pleiadum minax flamma.  
Sic teste cœlo, gratulante Naturâ  
Nasci decebat laudis illud exemplar  
Heroa nostrum; certiora non unquam  
Ortum tulere signa; scilicet tanto  
Fortuna præsens ipsa risit infanti,  
Nil ausa fallax; vedit hoc venenato  
Atrôq; dente noxiūm petens Livor,  
Suosq; damnans fregit impotens morsus,  
Se dum minorem confitetur hoc solo.  
Hæc Ipondet ortus, sospitansq; Lucina  
Ætasq; lactens fulsit experimentis,  
Quæ fausta Nobis extulit favor Divum.  
Vix ambulando quiverat vacillantes  
Proferre gressus, ac suis verebatur

Signa-

Signare terram passibus, nec utrumq;  
Certus Parentem noverat; PIÆ MATRIS  
MAGNIQUE PATRIS grande contuens Numen,  
Hærebat, & jam mentis igneæ clarum  
Tegiq; nolens, dum latere detrectat,  
Decus micabat, semper evolans altè  
Immensa virtus cuncta pollicebatur.  
Prævertit annos laudis ardor infantes,  
Post terga pigram ut derelinquit ætatem,  
Ultraq; tempus sapiat; ac velut flamma,  
Pridem recessu quæ laborat angusto,  
Claudiq; dedignatur, atq; victrici  
Prorumpit alâ; sic Puer rudimento  
Præclariori lumen ingenî prodit ,  
Virumq; spirat, & rudes Epheborum  
Ignorat annos, parvulusq; maturam  
Vincit senectam , maſculam juventutem  
Prætexta linquit, nec moratur ætatem  
Justumq; tempus, cuncta qui supergressus  
Nil demit ausis, sed sub actib⁹ crudum  
Occultat ævum ; Frons amabilis multō  
Perfusa risu, quam verenda majestas  
Decusq; formæ purpurans, verecundo  
Fingebat ore; quale nec Diis unquam  
Heroibusq; docta comminiscuntur  
Figmenta Vatum, gratiaq; devota.  
Vultus Catonem Læliumq; miscebat,  
Nil triste spirans: ipsa Lenitas quando  
Gravitate mista posset arte Zeuxea  
Pingue vellet, hoc probaret exemplum,  
Hæc ora cuperet: Graja desinat tandem  
Mendax vetustas tot superba Magnatum  
Cantare monstra, quæ togata sublimi  
Virtus Olympo collocavit, & cunctis  
Adjudicavit insequentium seclis.  
Non pigra lentos vita condidit Soles,  
Luxuq; fregit , aut inertiae laxa  
Remisit unquam frœna, desidem juscit  
Valere myrtum, marcidæ voluptatis,  
Fædæq; Circes sacra non frequentavit.

B

Effœ-

Effeminari grande queis solet culmen  
Sacriq; splendor stemmatis profanari.  
Fruantur ævô, quos per arduos belli  
Calus, Enyo, perq; tot periclorum  
Documenta fortis, posteris reservavit  
Linguis Nepotum, quiq; more Phœnicum,  
(Si vera possunt promere & loqui Vates)  
Ipsi favillis ex suis renascuntur,  
Viridemq; rursus induunt juventutem.  
Vivant Atridæ, vivat Hectoris fama,  
Cunctiq; robur noverint Achilleum,  
Fulmenq; Pellæ; seu quis acrius quondam  
Excivit arma ; nulla se togæ confert  
Sagata virtus; laureæq; concedit  
Honos Camœnis ; acta cæteris pugnæ  
Studiis juventa, gloriamq; bellatrix  
Quæsierit ætas prima, torserint hastam  
Qui bella spirant, & rudes inexpertis  
Formentur armis ; Hic vireta Musarum  
Ovans peragrat, intimosq; Permesi  
Adit recessus, quidq; Principis possit  
Ornare mores, quæ sequenda sint olim,  
Vitanda quæve, dicit, & nigrum culpæ  
Præfigit omen ; præstruens honestati,  
Magnæq; sorti, quæ timenda subvertant  
Regale culmen, quæve subditos iræ  
Arment rebelles; quâm nocens adulator,  
Hydrâq; pejor dissipans opes luxus  
Successcat aulis, annotasse præclarum  
Rectumq; ducit, blanda quam vacillanti  
Fortuna Regum, lubricove nitatur  
Munita gressu, dira quæ tyrannorum  
(Quos pejus ipsis odit inferum portis)  
Sequantur agmen fata, lquâm suâ pauci  
Siccaq; morte Ditis atrium pulsent.  
Quam cruda nunquam floreant diu sceptrâ,  
Moderata durent, ut magis regendorum  
Tutetur ingens caritas, amorisq;  
(Quem nec coronis quærerit impotens murex,  
Aut invidendæ comparant strues gazæ)

Ardor

Ardor benigni, quām satellitum turba,  
Vivant venenis ensibusq; muniti,  
Quos urit illa conscientiæ labes,  
Malint ut illud: ODERINT, nec infestos  
Exulceratæ mentis impetus curant:  
Queis regna surgant, occiduntq; præceptis  
In pejus acta, quæve purpuram firment,  
Exempla confert; undecunq; quod pulchrum  
Quod æmulandum pulchra suadeat Virtus,  
Animo reponit; si quid improbum, turpe,  
Minusve pulchrum ingloriumq; pregnanti,  
Carbone tangit, & suos malignantū  
Addit colores. Cum revolvit Annæles  
Prioris ævi, docta Literatorum  
Monumenta cernens, totq; imagines Regum  
Ducumq; facta, quos Apollo Romanus  
Latio dicavit, aut Erechthei turbæ  
Grajūm cothurnus vendicat: Monacharum  
Scrutatur ortus, quid coegerit gentes,  
Quæ civitatum causa, quem colat finem  
Hoc universi quicquid est: nec invitos  
Coisse primum dicit: ac celebratos  
Trojæ labores, imperiq; fatales  
Gemit ruinas, quid queat Dionæx  
Nefastus ardor, semifœminatorum  
Hinc temnit agmen, & minus verecundi  
Faces amoris. Pulchra præbet exempla,  
Stimulosq; subdit æmulæ furor mentis,  
Cum facta Cyri, gloriämq; Trajanii,  
Codros, Sicinnos, atque nomen Augusti,  
Paulos, Camillos, Theseas Catonesq;  
Legit perennem nominis sibi famam  
Quæsisse gestis: scita turbulentorum  
Trucesq; rixas neglit Tribunorum.  
Quæ vox Neronem Cæfarem q; distinguat,  
Campi fluentes cædibus Philipporum,  
Apexq; flagrans prædicat Quirinalis.  
Quo pereat ense læva Parricidarum  
Tandem caterva, justa cum premit crimen  
Vindicta, Brutus Cassiusq; commonstrant;

abnupta

B 2

Syllas,

Syllas, Cethagos, & tot Imperatorum  
Nefanda dictu monstra, Claudio, Galba,  
Vitelliosque & Commodos, Neronesque  
Titique fratrem præterit, nec adspectu  
Dignatur æquō ; crescat ut Ducum splendor  
Ductore Senecā, corruatque contempto  
Tragicæ theatris fortis exhibens ludos,  
Consulta quærit, atque cautus observat,  
Virosque magnos æstimare condiscit.  
Nec castra Magni Te latent Alexandri,  
Quies regna Pori concidunt, Eoique  
(Immenſa moles fracta) perdidit vires  
Gangetis hospes, atque patrio custos  
Inventus auro, quique tramitem Phæbi  
Ecbatana servat, terminosque Naturæ.  
Mox prædicata gentis arma Germanæ  
Rudesque Fastos visit, & Cheruscorum  
Ductu secures Consulis triumphatas,  
Arminiique prælantis infractos  
Miratur animos, Cæsarisque lamenta.  
Qui vultus olim, Teutonumque fortuna,  
Cum victa nondum Francicæ potestatis  
Jugum subiret, queis coiverint paetis  
Firmata vinclis robora, ut queat fidos  
Sociare nexus ordo præpotens Patrum,  
Electa Othoni nomina, imperi fulcra.  
Quin bella, causas omnium ruinarum  
Accersit illa civium manu gesta,  
Quies magna demum fors ruens sibi incumbit.  
Nec ista tantum judicat : secat lites,  
Quas docta quondam Socratis dedit turba,  
Sedetq; judex, nec tamen facit partes,  
Unive sese mancipat : Cleantheæ  
Nunc scita sectæ, nunc Platonis auscultat;  
Hortus, Lyceum, Porticusq; Athenarum  
Unius acri subjacent tribunalis,  
Rogantq; scriptis inde justa decreta.  
Quò Suada fessum me rapis ? Pericleo  
Seu fulminantem more rostra mirantur,  
Demosthenisq; Tulliiq; libertas

Facunda

Facunda laxat' ora, amatq; diffundi;  
Seu strictiore verba detonans gyro,  
Calet disertos Plinii sequi fastus.  
Adsit Nepotum sera gens, secutura  
Mundi juventa, si merebitur noster,  
Rudi Minervâ qui venit laboratus,  
Versus cupressum, si labos' perennabit  
Æternitatis calculo haud refragante,  
Miretur ævi longa posthumi proles  
Hoc lumen orbis, ingenîq; certamen,  
Exemplar omnis ac jubar venustatis.  
In quo benignus congruens favor Divûm  
Congessit omne, quicquid ornat Heroum  
Apices supremos, quæq; possident cuncti  
Divisa, in unô confluunt, ad auctisq;  
Egressa certant viribus, nec æqualem  
Novisse quenquam prædicant: quid incensum  
Pietate pectus, quid fidem loquar veram?  
Haustam beatis fontibus Palæstinæ?  
Quâ se probavit Cælitum Creatori,  
Deoq; fidas in manus resignavit,  
Quis cuncta tandem dona, queis abundavit  
DIVINUS HEROS, laudibus suis æquet?  
Heu quanta secum dira sustulit Parca  
Monumenta famæ! queis adultior quondam  
Monstrasset Hebe, tempus increpans longum,  
Alaude quâm non degener PATRIS MAGNI  
Assurgat Hæres, quem referre præclaris  
Studebat ausis; cui parem dabat prolem.  
Sic alitum rex, fulminumq; gestator  
Phœbi serenos imperat pati vultus  
Oculo irretorto, parvulos adhuc fœtus,  
Sibiq; deditgnatur impares gnatos.  
Est in juvencis scilicet patrum virtus,  
In majus usq; quæ laborat eniti.  
Mauri leones respuunt inæquales  
Timidosq; partus; quicquid altius surgit,  
Grandes paterni sanguinis refert ortus.  
Nec sola tantæ se palæstra virtuti  
Expandit illa, namq; longius quærens

Proferre gressus, nec volens adæquari;  
Quos se minores collocaverat fautrix  
Divum potestas, splendidiq; natales,  
Cunctos ut unus vinceret, laborabat.

Majora vellem: sed severa Fatorum,  
Movenda nulli jussa, vellicant aurem,  
Illudq; laudis ingredi vetant marmor.  
Sit illa felix candidisq; præfixa  
Dies lapillis fulgeat, recurrenti  
Perennis ære floreat celebranda,  
Multisq; retrò nominanda stet seclis;  
Quæ tale nostris NUMEN extulit Cimbris,  
Quod & renatus, occidensq; Dictynnus,  
Quiq; æstuantis fervidum latus mundi  
Possedit Auster, frigidæ invident Ursæ,  
Sibiq; civem vendicare conantur.  
Sed ista taxo squalleat, cypressôq;  
Invisa semper lux eat, tenebroso  
Vestita vultu, (qualis iverat nuper,  
Cum torva fratri prælium minaretur  
Niveas sorores inter emicans Luna)  
Quæ rapuit illud inclutum decus nostri,

Sidus coruscum, patriiq; dilectum  
Solamen Orbis; ipsa (proh nimis ferò!)  
Cœcos furores tristis increpat Clotho,  
Fatumq; præceps luget, & colos damnat.

Ergo beatis additum bearorum  
O SUMME PRINCEPS, fulgidum jubar templis,  
Qui candicante noctis arbitram Phœben  
Præstinguis ortu, purpuramq; Tithoni,  
Cujus nitor, (pulchra quamlibet) lampas  
Phœbea cedit, namq; cœteros nolo,  
Queis mille picta nox superbit, astrorum  
Referre vultus: TU benignus attende,  
(Ni victor, omni excedis altior voto)  
Quanto dolori tota Cimbriæ tellus  
Succumbat ægra, quosve lugubres sumat  
Pullata cultus; cui novum recrudescit  
(Post tot querelas, ac Virginis busta)  
Immite vulnus, vulnus horridum dictu!

Cui

Cui nulla quamvis longior, cicraticem  
Obducat ætas, quando SOSPITATORE  
TANTO carendum. Nos doloris infandi  
Memores habebit omne subsequens tempus,  
Fluentq; largis usq; lachrymis ora.  
Quin, ut futuri sera seculi turba,  
Haud sarcendi defleat modum damni,  
Grandesq; luctus discat; haud odorato  
Violæ süaves halitu struent aram,  
Panchaiciq; cinnamum dabunt rami,  
Tumulumve flores erigent, amœniq;  
Quos Ver honores evocat, rosæ fastus;  
Hunc mollis Indus, hunc Arabs Erythrææ  
Potator undæ, proprium suis ducant  
Bustis honorem; sic suo parentavit  
Helene Marito, sic Cythera Leandro.  
Sed tale memori carmen additum saxo,  
Ævum per omne, posteræ legent gentes:

Quod heic superbo marmor adspicis luxu,  
Ventura proles, hospes atrium claudit  
Ingentis animæ, quod videre si posses,  
Consumpta in uno cuncta terneræ dona.  
Novisse laudes queris & DUCIS NOMEN,  
Suæq; semper Patriæ sacrosanctum?  
FRIDERICUS HEROS hocce conditur busto,  
FRIDERICUS, inquam, Cui suum PARENTIS NOMEN,  
Claræq; laudes indidit: rogas annos?  
Vicena vixdum messis iverat vitæ,  
Bis denus illum Consul abstulit Nobis.  
Quod si querelæ perpeti fatigatus  
Mansuetat Orcus, ferreumq; mitescens  
Fatum refigat, inferi regis custos,  
Nunquam perennes sisteret dolor fletus.  
Huic nil benigna denegaverat Virtus,  
Sublime stemma, gloria decus rarum  
Nulli secundæ, quodq; cunctus impense  
Miratur orbis, queritur hoc tegi saxo.

At TU supremum Regiæ domus culmen,  
Cœlesti munus, optimusq; Cimbrorum  
Moderator Orbis, & Paren's Regendorum,  
(Namq; his Parentem, Principemq; TE præstas,

Virtu-

Virtutis' atq; sanctitatis Exemplar,  
Cujus salute nostra stat salus nixa,  
Deosq; ridet lubricos, ruinæq;  
Secura, nullis ingemiscit ærumnis;  
Ne perge fletu questibusq; divinum  
Urgere pectus; sed doloribus parcas.  
(Quamvis obortos calus exprimat rivos,  
Parensq; Gnatum morte lugeas raptum)  
Non illa prodest, quæ lacefit invictos  
Querela Manes, Occidisse FRIDRICUM  
Columen Senectæ, Spemq; MATRIS AUGUSTÆ,  
Desiderandum Patriæ doles fulcrum,  
Mœrorq; tecum publicus ciet planctus,  
Nec justa tanti causa deficit luctus.  
Sed ora CELSI quando cernis HÆREDIS  
RELIQUAMQUE PROLEM respicis, juventutis  
Puertiæq; Cimbricæ decus sanctum,  
Non nostra solùm, tota Teutonum Tellus  
Hoc TE beatum prædicaverit GNATO,  
Cui grande MAGNUS ENSIFER dedit NOMEN,  
Ob ora cujus subditæ favor plebis  
Obvertit ora, quem tuentur, adspectant,  
Amantq; cuncti: cujus aureum tempus,  
Spirans metallo pulchriore Saturnum,  
Priscam quietem seculo reservabit,  
Vivetq; noster Cyrus, atque Trajanus,  
Divoque fratri patriū gubernandi  
Miscebit instar: tum serenius Soles  
Diesve current: &, GEORGIUS *vivat*  
*Diug, Nobis interesse dignetur,*  
His personabunt læta vocibus rura.

Longùm fruaris lucis hujus usurâ,  
IMMENSE PRINCEPS: atque seriùs demum  
Reddantur astris, quos superstites Divûm  
Fecit potestas; ac TRIONIBUS nuper  
Sociavit æther, PURPURÆQUE REGALI  
Vinclo ligatos arctiore conjunxit  
Optatus Hymen, ossibusque GUSTAVI  
Conceptus ardor. Florent diu sceptræ,

Nostræ

Nostræ propago sanctior domûs vivat,  
Sublime cœli conferat caput signis,  
Prosceniumq; laudis inclutum pandat,  
Ut cernat illud, si qua gens Libyssinas  
Orbis sub oras extimi relegata,  
Ignara nostri, frigus alterum sentit:  
Dum Bætis Albim nescit, ac procelloso  
Objecta cautes Nereo reluctatur,  
Abylave Calpen Herculis fretum scindit,  
Ortusq; Titan dum novos redintegrat.

*Ita animitus*  
*Serenissime Celsissimæq;*  
*Domui*  
*omnia fausta*  
*ex debito*  
*apprecatur*

Nicolaus Martini,  
L. L. stud.




...civitatis amicorum etiamque sibi  
...eiusmodi utrumque non possit  
...etiamque tunc in eis potest  
...censere. Et hanc est quod habet deinceps  
...separatum. Ante dicitur  
...quod membra angusti, tristes, amarum  
...Gloria, quae postea censetur. Vnde dicit  
...naturalem operis amorem. Quod  
...dicitur operis amorem, hoc est quod  
...ad hanc operem nosco mus natus est.

litteris  
libri 11. p. 1







ferunt ex optatisimi nati! Et quid de filiabus Tuis dicam,  
ui & seculi ornamentis? quæ & ipsæ nobilissimas familias, ge-  
sanguine in novas inclytasq; stirpes succrescente, illustrant? In-  
prima, MARIA ELISABETHA (quæ lux & gloria fœmina-  
generoso Dno JOHANNI SAMUELI HEISTERMANNO  
LBERG collocata. HEISTERMANNUM autem cum dico,  
ntum aliquod exemplum in omni cultu civili ac habitu perfecti  
co. Ita enim in eum, & morum concinna Suavitas, & rerum  
darum cum variâ eruditione peritia, atq; eximius planè animi  
or confluxerunt, ut quâ parte horum magis mereatur æstimari,  
le oppidò sit decernere. Ego certè ab ipsis planè Gratiis elabora-  
sse virum judico. MARIÆ ELISABETHÆ natu proxima  
A MARGARETA, è celebratissimâ BROCKTORFIORUM  
GUARDO WOLFGANGO, heroï strenuo nupta.  
citas est SOPHIÆ AUGUSTÆ, natu in hâc pul-  
minimæ, quæ WOLFGANGO BLUCHWALDIO,  
pis generosissimæ propagini sociata, extendere in se-  
m prosapiam, & novas ac eminentiores in eam virtu-  
promittit. Sunt hæc profecto bona omnia tanta, ut  
n commemorationem oratio mihi vix suppetat, de-  
tq; succubitura, si pro dignitate singula exornare in  
n esse. Retribuit DEUS pietati Tuæ, Exellen-  
, quando inter medios fragores bellicos, inter alter-  
mirabiles & periculisissimas vices, inter invidorum,  
lorum insidias, odia, crudelissimasq; minas, Te ani-  
fractum, integrâ gloriâ, florente famâ, constante  
erum ac populi favore, dignitatibus salvis & insuper  
vit, servavit, munivit, atq; ita evexit, ut vix amplius  
us divina illa faventia potuisset adstruere. Tu intereà,  
Domine, inter tot ac tanta Tibi propria decora atq;  
hil abis à pristinâ tuâ humanitate, & verecundiâ ac  
â modestiâ. Quæ maximus Princeps, quæ Patria, quæ  
Atlantéis tuis pro communiegregio exhaustis labori-  
ependere, & promptissimâ manu Tibi tuisq; offert  
i non nisi trepidè atq; cunctanter, hæsitans ac multum  
i, ut modestissimi solent, admittis. Quæ res profecto  
m in ejusmodi admirationem rapit, ut agnoscere pa-  
inter omnes divini animi tui dotes, omnia decora,  
se maximum, quod publico natus factusq; bono  
ædicari malis. Sunt omnia, quæ hactenus de Te  
mihi

